



*Jouannus*

*Catalogus dissertt.*

*I. S. Semler.*

1. Officij super 2 Timoth. III. et II.
2. Sessionis VII Concilii Trident. exemplum.
3. De regeneratione monastica.
4. de praestantia theos. aromatico & praes. dicta biblici.
5. de infelicitate hominum praestanti.
6. de Christi ad Ebgarum epistola.
7. de imagine divina in humana sp̄i natura.
8. de mysticarum interpretationum studio.
9. Studijsitulum hermeneuticarum ex Testim. Spec.
10. de tempore, quo scripta fuerit epistola Pauli ad Galatas.
11. Baptizator fuisse, de quib⁹ agitur Act. xix. 5.
12. de propagata per Apollinarium inter Germanos ref. christi.
13. de discrimine nostrorum vulgarium et christianorum in libris N.T. obseruant.
14. In Matth. I. 17.
15. de cauenda molestia sedulitate sacra.
16. In Luk. I. Gabrielum (spir.) non est.
17. Iesum Christum esse Paulo auctore verum. Ieum et omnem hominem. disf. II.
18. Illustratio antiqui carminis ex euangelio Hebreorum.
19. Sive vario et impario octetorum studio in recolenda historia desensus ad inferos.
20. Spirillum si recte describi personam.
21. de Desideriorum et euangelio Hebreorum.
22. de discrimine inter sapientias et sapientiam.

*II. J. A. Noeselt.*

23. Singularis praevidentiae divinae in pace religione vestigia.
24. de discernendo propria et tropica dictione.
25. de Catene patrum grecorum in novum.
26. in 1 Pet. II. 20 et 27.
27. interpr. cantorius anglicus Luc. III. 11.
28. de Christo nomine regnante.
29. Deum auctoritatem divinam religionis Christi conformare sicut maioribus legitatione sinecita.
30. ad Hebr. II. 11.
31. in 2 Cor. III. 17.
32. ad Num. xxviii. 17.
33. in Joh. xii. 20-23.
34. de vera vi nominis feliciorum dei.
35. In 2 Thessal. II. 1-12.
36. In Joh. xv. 1-16.
37. In Joh. xii. 13 — xv. 23.
38. (legit in nos Leizn uas N. 31. — Tief. T 8 Quir. 87 2 Cor. VIII. 6.

N. 129.

19.

D. IO. SAL. SEMLERI

OBSERVATIO HISTORICO - DOGMATICA

de

*vario et impari veterum studio,  
in recolenda historia  
descensus ad inferos.*



---

HALAE AD SALAM

AERE HENDELIANO.





Numquam generi humano defuisse dei, communis mortalium parentis, varia beneficia, ad initiom animi indolem inuandam, noua etiam super illa continua, constans est et verissima sententia, tum christianorum veterum, <sup>1)</sup> peritiorum scilicet illorum; tum corum etiam, qui apud alias gentes philosophiae castioris amore et sancto quodam studio plus aliis prosecisse dici possunt. Nec enim ad huius externae vitae tantum noua commoda pertinuit illa augusta prouidentia, sed etiam ad illa adiumenta, quibus animorum quaedam ingenua correcio, perfectio, et sempiternae felicitatis quoddam initium, comparatur; quam eximiam provinciam τῷ Λογῷ, deo sapientiae auctori, tribuere veteres illi doctores nostri humaniores solebant, qui etiam inter gentes alias femina diuinioris virtutis, arcana gubernatione, numquam non et sparserit et diligenter fouverit. Nobis iam non licet longo agmine recensere verae et sanctae sententiae auctores pios et graues, qui inde a Clemente, alexandrino, <sup>2)</sup> et Tertulliano, satis luculententer et laeti rem illam collaudant; a quibus doctoribus

A 2

nec

- 1) Nos iam non possumus in ista breuitate vel nomina recensere graecorum latinorumque scriptorum, tam ecclesiasticorum, quam aliorum, quorum sententiae eximiae et graues hoc pertinent. Sufficiat iam, istum auctorem tantum excusat, qui celeberrimos, libros de ratione omnium genium scriptis. Is libro I. c. 5. (pag. 171, tomo 2. operum Leonis M. per fratres Bollerianos,) et libro 2. cap. 4. c. 10. cap. 15. recte admonet, deum non solum vitas et corporis curas illas commoditates, sed et animis hominum omnium, ea subtilia profpexisse, quibus opus erat, ad explanandam partem consiliorum dei; quae omnino multum differunt a dogmata hominum illi coniunctio, quibus aut Pelagiana illa caussa, aut Augustini illa grariae (particularis) formula adhuc sole imponere.
- 2) Non ignotus est ille locus Stromat. VI., quemadmodum deus Iudeos voluit σωσθει, impetratis prophetis, ita et Graecorum optimos, qui et ista lingua do-mestici prophete essent, suscitauit, ὃς οὐατήν δέχεσθαι την πάρα θεόν εὐεργέτον, (cerer forte explicare, πολυμεγές, καὶ πολυτρόπος;) leuinxit a vulgo hominum; quod non solum in Perri illa praedicatione, sed et Pauli auctoritate confirmetur. Nempe Corellius, quem et Fabricius sequitur, ita explicat, ut respiciat Clemens ad locum Epistolae ad Titum I. 12., quae explicatio omnino vera esse videatur; vi porro cetera verba, sumite libros graecorum, Sibyllam, Hydaspem etc. sicut ex Perri illa praedicatione, non Clementis, uti volebat Corellius. Rem ipsam, κοντρά beneficiorum huius generis, adeo crediderunt veteres, ut partim hoc nomine etiam libros falsos et confititos sciamus; partim ideo Iustinus ille, Clemens alex. Eusebius in praeparatione Evangelica, et alii, multum operae impenderint, colligendis sententiis bonis, atque ideis moralibus, quae sint gentibus et nobis communes.



nec ipse *Augustinus omnino* abire ausus est, in ista celebri Epistola; 3) Se-  
rius denum obscurata est ingenua illa et aequissima doctrina, cum tandem ple-  
rique scriptores, cum *Augustino gratiae nouum genus* distinguerent ab ipsa  
doctrinae cognitione, eiusque illis tam luculentis gradibus: *ante tempus Mo-*  
*sis*; seu in statu naturae; *sub legis* ista conditione; *sub prophetis*, et isto omni  
tempore ante Christum. Hinc scimus insulta illa certamina cum *Pelagianis*,  
si placet, locum habuisse; qui nihil a graecorum doctorum consuetudine alienum  
in hac causa repererant, *mercurianos* propiores, quam *zeugianos*. A Christi  
vero historia recte omnes solebant deridere auctiora et maiora dei beneficia,  
quibus hominum maximam salutem per Christi omnem illam prouinciam deus  
promotum iuerit; quod nouum augmentum *Hebraicis* etiam proponit illa tam  
celebris Epistola, inde ab initio.

Iam enim non solum ipse Iesus, dignissime Messiae prouinciam ad In-  
daeos praefudit, commonistratis melioris religionis felicitatisque verae atque ad  
omnes homines aptae rationibus et cauiss: sed et per tot alios ingenuos disci-  
pulos optima et firmissima cognitionis salubris fundamenta latissime proferri cu-  
rauit; proiecto Iudeorum particularismo. Sapientis et optimi magistri disci-  
pulos diligentissime imitatos fuisse hanc docendi sapientiam, facile credimus;  
itaque *aliter* Iudeis ad veram et maximam Messiae prouinciam amandan, de-  
sisse operam; *aliter* vero gentibus salubriter commouendis studuisse: poteramus

ex

3) *Augustini Epistola ad Presbyterum Deogratias*, veteris numeri 49. quaest. 2.  
Christus, verbum dei — sub cuius regimine vniuersa, creatura spiritalis et cor-  
poralis, *pro congruentia temporum locorumque* administrantur, cuius moderan-  
das et gubernandae, quid, quando et vbi circa eam fieri oporteat, sapientia et sci-  
entia penes ipsum est: profecto et antequam propagaret Hebreorum gentem —  
idem ipse est filius dei, patris coneterius et incomutabilis sapientia, per quam  
creata est vniuersa natura, et cuius participatione *onnis rationalis anima sit*  
*beata*. Itaque ab exordio generis humani, quicumque in eum crediderunt, eum  
que *vtcunque intellexerunt*, et secundum eius praecepta pie et iuste vixerunt,  
quondamlibet et *vbilibet* fuerint, per eum procul dubio salui facti sunt. Haec his ver-  
bis Augustinus; *vtcunque in rellexerunt* istum *257v*, et eius participes mente  
fuerunt, licet carerent ideis historicis, locib; et singularibus. Idem alibi (*ad Enochium*, ep. 99. veteris ordinis) ipse fatetur, genitilium quorundam vitam  
landabilem et indolem animi ita detectare, vt eos, in quibus talia fuerunt, velle-  
mus vel praeципue, vel cum ceteris, ab inferni cruciatis (per christi delcentum)  
liberatos; nisi aliter se haberet sensus humanus, quam iustitia creatoris. Quod  
hic dicit, de iustitia creatoris, sensu non tam humano opponi debet, quam *africano*;  
debet autem potius diligenter executere sententiam Christi, *Matth. VII. II.*  
et *Pauli Rom. II. 6* seqq. Liceat admonere, *Pelagium* et suos contra istam ecclie-  
siasticam sententiam, de inferno et limbo patrum, refutus statuisse: *Iex (cognitio*  
*et religio a christum) sic misit ad regnum*, sicut *Euangelium* (sine limbo pa-  
trum); vt *Recognit. Clement. Lib. I. hom. 52.*, ad *Paradisum translati, seruan-*  
*tur ad regnum*). *Augustinum vero gratiae Christi parum ingenuam formulam*  
*reperiisse, negata spe et fide beatae vitae, ante Christum.*

ex rei ipsa indole, coniecturis non vanis assequi; si vel maxime historiae illa fixa, quae est et ipsa satis exigua, nobis non superesset. Gentibus igitur et minus rudibus praecepit studuerunt, et *Gnostici* illi; alieni a Iudaizantium opinionibus et decretis exilioribus. 4) Nec fere dubitare licet, exortos etiam fuisse, per istam rei opportunitatem, doctores a probitate et fide summa ipsos magis aut minus alienos; quorum non pauci iusto impensius amarunt illam *externam historiam Christi*, peractam inter Iudeos, illis etiam praecepit propriam et studiosis saltim narrationibus destinatam; quorum vel patribus et maioribus iam olim defunctis, patri scilicet amoris confitutidine quadam, multi ita studuerunt, ut huius Christi, cuius illa mors multos offendebat, 5) etiam *infernalem historiam* satis amplam atque grandem narrationibus scriptioribusque sedulis informauerint. Ista scripta et libelli non pauci numero, quibus celebria nomina ex ista Israelitica gente et maioribus adaptata essent, facile etiam praeter Iudeos graecos, apud rudiiores istos christianos intenerunt amatores multos et pertinaces; sic quidem, ut minor illorum numerus, qui rem ipsam, hominibus semper maxime necessariam, tuncum tempus intelligendi varietatem secum ferret, usu ipso et experimento salubri praeferrent studio historiae ambiguae et ab ipsis fere alienae, qui scilicet istas iudaicas imagines diaboli, mortis, inferorum, quas tales libri noui audacius expressas ostentabant, non ante dидicissent: ut igitur peritiorum minor ille numerus fere in aduersariorum, et, ut loqui sensim christiani de christianis solent, haereticorum in locum referretur. Tandem infernalis ille Christi triumphus, exsoliatusque *Hades* ita omnium, qui quidem christiani probi esse vellent, ore et plausibus perpetuis personabat, 6) vt, licet certum

A. 3

tum

4) Ipse *Augustinus* rectissime adhuc praecepit, *Catechistam* aliter agere cum his, qui ex gentilitate, aliter cum illis, qui a Iudeis ad ecclesiam veniunt; aliter item cum urbanis et politicis; aliter cum agricolis et prorsus incultis; aliter cum grammaticis, oratoribus, philosophis, aliter cum illiteratis; etc. Copiosius de hoc re eruditus ille *Hyperius de Catechesi*, cap. 2. pag. 447. corpusculi: *Andreae Hyperii* varia opulcula theologia etc. Basl. 1570. Itaque intelligimus, diversis studiis scholam Pauli et scholam Petri, aut Palæstinensis doctorum, dedisse operam; quam cautiā plane poffea neglegētam fuisse, iure mirari licet. Debebat et hodie seruari idem docendi differen.

5) Illud vel ex prima parte Epistola ad Hebreos patet, ut non opus sit, diligentius repetere.

6) Longo agmine facile recenserī possent eius generis *declamationes*, verbis multis et magnis strepentes, græcorum latinorumque scriptorum, per omnia secula; certantibus quasi auctoribus, Arianis non minus quam cathelicis, quis magnificenter audaciusque rem illam pingere potius, quam perscriberet. Fatur iam *Augustinus*, in allegata ista Epistola ad *Eudium*, in qua satis copiose et studiose *Eudaii* opinioni, (de exinanitis inferi carcerebus) suam sententiam opponit: "de illo quidem primo homine, patre generis humani, quod eum ibi soluerit, (Christus,) ecclesia fere tota consentit, quod eam non inaniter credidisse creden-

dam



tum sit, *symboli* istius vetustissimi et omnibus christianis communis, quod solent *Apostolicum* dicere, exemplis antiquis non insuisse hanc sententiam, *descendit ad inferos*: tamen antiquissimi, imo omnes catholici scriptores rem eamdem saepissime celebrarent; vt tandem et ipsi symbolo eam partem adiici opus esset.

Nos iam id non agimus, vt verbosius hanc caussam omnem repetamus, post fatis laudatum scriptorem, Vener. *Dietelmaierum*; sed *discrimen* peritiorum christianorum et ceterorum, quos τες πολλας dicere oportet, paululum illustrabimus; declinata veteri ista et vulgata atrocitate, nisi calumnia: quae solet *Gnosticos* etiam hic inuidiosius describere. Non repetemus mediocrem, semper certe ambiguum accusationes *Tertulliani* et *Irenaei*, qui vehementius obiciunt, quod *carnis salutem*, resurrectionemque negant *Gnostici*, *Marcionitae*; quos scimus ab illo *Iudaismo* humili et indigno absuisse, quem *Hieronymus* ipse adhuc *Irenaeo* isti et *Tertulliano* non exprobrire non potuit, qui parum sobrii interpres noui in terra regni christi fuerant. Sunt certe hi scriptores nullam partem eo honore digni, quem solent plerique illis tribuere, qui sequuntur antecedentem gregem; audiencem sane confirmare, istam religionis formulam universam, quam isti scriptores et post eos multi alii tenent et defendunt, etiam caussam et prouinciam Christi, adhuc ignorari a multis, et recipi atque amari a nullis posse, qui nolint redire ex mitiori luce in crassam caliginem. Adeo Christum tantum destinarunt regimendae corporis nostri vitae. 7)

Suffi-

dum est, unde cuncte hoc traditum sit; etiam canonicarum scripturarum hinc expresse non proferatur auctoritas. Quamquam illud, quod Sap. 10, 13, 14. scriptum est, magis pro hac sententia, quam pro illo alio intellectu facere videatur. Addunt quidam, hoc beneficium antiquis etiam sanctis fuisse concessum, Abel, Seth, Noe, dominus eius, Abraham, Isaac, Iacob, aliasque patriarchis et prophetis<sup>“</sup> etc. Itaque non miramur, etiam eruditiores scriptores non potuisse silentio intulere tam amaram Christi historiam; quos inter est etiam cruditus illi *Theodoretus*; e. c. in *Iesiae VII*, 14, quem locum ideo hic *integrum* repetimus, quia non solum in *Sirmoni*, sed etiam eleganti illa *Halesi* editione, error ille oculorum, qui librarum sua veterem sive recentiorem refellerat, superest, et sententiae pars non parva *omissa* est. Sic enim legitur, ὁ δὲ Εὐαγγελος ναὶ εἰς τὸν Αὐτὸν οὐτιστήσθε, καὶ εἰς τὸν ἔργον αὐτοῦ οὐτιστήσθε, καὶ εἰς τὸν Αὐτὸν οὐμενον Αὐτὸν εἰς τὸν ἔργον αὐτοῦ οὐτιστήσθε. Illa in ( ) hic inclusa restituit *Gratianus* in *Spicilegio* ad testamentum Beniamini, ex codice iusto catenae in *Iesiae*; et ex *Gratiano* recudi fecit *Fabricius* in codice pseudopigrapho veter. testim. tomo I. pag. 741.

7) Vid. multa testimonia apud *Whitham* de peccato Originali pag. 17 seqq. plura adhuc apud *Petrarium* de Incarnatione lib. 13. cap. 16, 17, 18. Adeo plerique omnes patres docent: τῷ Φθορᾷ, mortem, ex Adami fato ad homines derivatam, a Christo sublatam fuisse. Hanc poenam et *Whitham* intelligebat nomine ἀμαρτίας.

Sufficit iam nobis, illustrare illam sententiam *Irenaei*, 8) ut simul aliquid locis quaeramus ad historiam tot apocryphorum librorum; quibus catholicis multum tribuere solebant, cum eos Gnostici omnes contemperent, tamquam melioribus consilio consequendis minus aptos. Nec enim opus est, nos admonere, *Gnosticos* perspexisse istas imposturas consistorum librorum, in gratiam Iudeorum, *uxora regna*. Nunc autem tribus diebus conuersatus est *Christus*, ubi erant mortui; quemadmodum propheta ait de eo, *commenoratus est dominus; (sanctus Israël) mortuorum suorum, eorum, qui ante dormierunt in terra sepelitionis; et descendit ad eos, extrahere eos et salvare eos.* Et ipse autem dominus, quemadmodum Ionas, etc. Matth. 12, 40. Sed et Apostolus ait, quid est, nisi quod descendit in inferiora terrae, Ephes. 4, 9. — si ergo dominus legem mortuorum seruauit, vt fieret primogenitus a mortuis, et commoratus usque in tertiam diem in inferioribus terrarum; post 9) deinde sur-

gens

8) Haec *Irenaens lib. 5, c. 41.* Sed operae pretium videtur, etiam istas tres alias allegationes adscribere, ut facilius possint comparari. Sic libro 3, 20. noui numeri: „et quoniam non solum homo erat, qui moriebatur pro nobis, Elias ait: et *commenoratus est dominus sanctus Israël mortuorum suorum, qui dormierunt in terra sepelitionis; et descendit ad eos, euangelizare salutem, quae est ab eo, ut salvaret eos.*” Libro IV, c. 22. „quapropter et recumbentibus eis (discipulis) ministrabat escam, significans eos, qui in terra recumbebant, quibus venti ministrare vitam, sicut Jeremias ait: *recommemoratus est dominus sanctus Israël mortuorum suorum, qui praedormierunt in terra defensionis, et descendit ad eos, ut euangelizaret eis salutare suum, ad salvandum eos.* Atque hoc eodem libro iterum redit, cap. 33, fine nomine scriptoris: „congregans dispersos filios a terminis terrae in ouile patris, et *recommemoratus mortuorum suorum, qui ante dormierant, et descendens ad eos, ut erueret eos, et salvaret eos.* Secundum autem aduentum „etc. Putamus facile letores ipsos plura colligere posse, ex ista tam frequenti allegatione; scriptor scilicet quasi eximius gauisus est hoc *novo* thesaurum, quem debuit *Instituto* illi, qui et ipse in eadem συνέφεω, quae hanc accusacionem continet, (*erafisi Indaco*) scripsit: *multa loca plane fistulerunt Iudei* ἀπό τῶν ἐγγράφων, τῶν γενεσίων per LXX. interpres, οὐδὲν διαφέρει επος αὐτος ὁ συγραφεὺς, ὅτι θεος νεανικός — Irenaens autem lib. 3. similime, cum primum excitat, scribit antea: *quod non solum homo erat, qui moriebatur etc.* Sed quod plane tacet de ista alia re, de Iudeorum depravatis codicibus: ideo, dedito consilio, tacet, vt ne ex *Instituto* et ipse desumisse videretur; vt plurimum in manibus adhuc esse locupletiores codices credi posset.

9) Nostrum iam non est, repete sententias varias de tempore, quo *christus* ad inferos descendit; quia referimus ad questiones illas, quas Paulus parum commendat. Huterus tamen putauit, operae pretium esse, accuratius requiri de isto tempore; praefert autem momentum primum resurrectionis, in illo ipso magno terrae motu, qui summo mane ante solis exortum, in ipsa die resurrectionis evenit; ubi se *Christus* diabolus et omnibus damnatis viuum conficiendum ostendit, et mox triumpho hoc in inferno peracto, cum oriente sole et ipse redditius toti

8

gens in carne, ut etiam fixuras vulnerum ostenderet discipulis, sic adscendit ad patrem: *quomodo non confundantur, qui dicunt, inferos quidem esse hunc mundum, qui sit secundum nos;* interiore autem hominem ipsorum, derelinquentem hic corpus, in supracaelstem adscendere locum? Haec nobis sufficiunt; postea addit catholicam doctrinam: *animas post mortem abire in locum inuisibilem, definitum iis a deo,* et ibi usque ad resurrectionem commorari etc.

Ex ista parte, quam scripsimus, fatis patet: *Gnosticos*, (describit enim Irenaeus eos; qui statuant, se statim post mortem adscendere ad patrem etc.) tales sententias, Ephes. 4, 9. et alibi, non explicatae de loco et statu mortuorum, *qui sub terra* omnes congregentur, ad quos Christus defenderit, eduturus iam patres veteris testamenti; sed simili modo, ac multos seculi 16. theologicos scriptores, qui *descensionem Christi ad inferos tantum inoproprie intelligebant.* Nec excitat Irenaeus hic aut alibi istum tam celebrem locum, i Petri 3, 18. 19., licet ille multo clarius ad confirmandam sententiam istam pertinenter: quia *Gnosti* plane non vtebantur *ipsis aliis Epistolis*, quae Pauli non fuerant; quod nemo potest quasi ad cumulum vituperii addere; quia intelligimus, diu continuatam fuisse illam divisam societatem; alteram Pauli, et alteram Petri, Iacobi et Palaestinensis. Paulus, fennata dioecesi sua, de qua conuenerat utrumque, Galat. 2, nullas Epistolas scripsit ad discipulos et amatores Petri aut Palaestinibus addicatos; nec Petrus et Iacobus scripsit ad istos christianos, qui Paulum sequerantur doctorem. Hinc vetus illa diffensio, de libris canoniciis N. T. quae durauit adhuc seculo 4, facilis potest intelligi. Sed, vt eam rem iam agamus, cui maxime operam hanc destinavimus: vel hic *Irenaei* locus fatis declarat, quam diversa studia sciunxerint: itam maiorem partem christianorum, a patricioribus, quos *Haereticorum* nomine isti insignierunt. Utitur hic *Irenaeus apocrypho quodam carnine*; quod praeter *tribus aliis locis* allegat, *Ieremiae adscriptum*, alicubi, lib. 4, 22; *Iesiae*, libro 3, 23. (20. noui numeri;) alibi *sine nomine* auctoris bis repetit. Atque hic illud nostro iure miramur, tale carmen, praeter *Institutum*, neminem e tot christianis scriptoribus vixquam recitare; *Institutum* vero istum adeo scribere ausum, 10) *Iudeos* erat-

tou orbi illuxit, etc. *Hutterus* in Explicatione plana et perspicua libri christianae concordiae, artic. 9. quastio 2. Nos non refutamus tales sententias; liberas enim virumque esse decet.

- 10) Dialogus cum Tryphone num. 298. pag. 294 edit. *Thiriby;* solent plerique eruditus retinere istam sententiam, esse omnino *Instituti* itas *Apologia*, 2070<sup>v</sup> πτερος Εποχης, et istum dialogum; fed non desunt, post Kochium, rationes dubitandi; tum aliae, quas liget dicere internas; tum ista eius temporis singendi et fallendi publica quasi confutatio, cui et *Clementis* romani nomine tam multa debemus, et *Hermae* libros, *Barnabae* epistolam, *Ignatiana* etc. Pleraque haec Romanum putamus habere locum narrarem; ex Italia *Clemens* ille, qui post plura itinera Alexandriae hascit, *Clementis*, et *Barnabae* Epistolas et *Hermae* Pastorem Alexandriae intrasse

erat sive hanc sententiam, ex *Ierenia*, sicut quasdam alias; quae accusatio, licet fatis audax et, si credimus dialogo, Ephesi, publice, Iudeo, Tryphonii audienti, proposita: fidem, tamen apud neminem inuenit. Non destitit quidem eruditii viri, qui excusare Iustinum student; quem forte apocryphi libri decepti perint, aut codices a christiano quodam, privata opera, aucti; nec obstat nec omnino his aequioribus iudicis. Idem vero fatetur, suspicionis non deesse causam, huius generis sententias, quae commodius prodecent disputaturo aut scripturo, non tam aliis in codicibus graecis iam insertas existisse, quam a *Iustino*, <sup>11)</sup> seu quicunque sedulus iste scriptor sit, dedita opera primum, isto ipso tempore, post vulgatam iam de Christo famam, sic informatas et suggestas fuisse. Nemo enim, nec *Origenes*, qui profecto graecos codices diligenter requisiuit, nec *Eusebius* in illa demonstratione, aliquid eius rei vnuquam repetit aut vel leuiter commemorat vlo in codice repertum; quod autem solus ille *Irenaeus*, quasi rem integerime praeciterit ille *Iustinus*, tam securè quater excitat eamdem sententiam, et silentio plane praeterit tam insigne crimen et flagitium, a Iudeis eratum fuisse hoc carmen: nisi eximie fallimur, fraudem et impostorum studiosam potius prodicet et confirmat, quam eius suspicionem amoletur. Nec enim alii rei destinatum est hoc carmen, quam ut confirmet istam ideam descriptus Christi ad inferos, eo quidem omne, ut educti ex isto carcere mortis crederentur maiores Iudeorum, qui inde ab Adamo mortem obierant. Ista vero idea, quod non obscurum est, Iudeorum praecipue ignaviae sacrae, quae maiorum suorum honorem continuatum vellet, dat vnicę operam. Talem ideam illi Iudei in Palaestina profecto non repererunt, alieni scilicet ad huc a Christo illo; eam igitur christiani filii informarunt, qui facilius ea ratione quam plurimos graecos Iudeos ad se trahi posse putabant.

Eius

lis videtur. Forte et ille *Irenaeus* et *Iustinus* huius *Clementis* alex. graecos commentarios *Romae* iam oculis et manibus usurparunt; sicut ex *Iustino* illud carmen *Apocryphum Irenaeus* defumis, quia nullib[us] vel leuissima sit eius alia mentio. Forte eruditus videtur opere pretium, attendere ad officinas tot factorum librorum, *Romae*, *Alexandriæ*, in *Asia minori*.

<sup>11)</sup> Idem iam *Crocius* sentiebat, obseruat. in Nouum testam. pag. 205, cui ille *Iustini* magnus patronus, *Thirlby*, grauerit ideo iraeficit. Sed videtur omnino *superesse* *Sufpicio*. Cur enim nemo alius id Iudeis obiicit, quod *eraserini?* Ex *alii* apocryphis sumit? Nempe si quident tales apocryphi libri iam extabant, qui christianis tam luculentae fauabant. In codices autem graecos V. T. quis tandem adscripterit, nisi qui doctoris prouinciam sibi sumebat, *adversus Iudeos*. Christianis enim ipsis nullam in rem opus erat talibus sententias. Scimus autem, *Epiphanium* adhuc narrare, ad *Ptolemaeum* non solum istos libros 22. Hebraeorum, sed et 72. *occulta*, *apocrypha* scripta, transmissa et translate fuisse; vniuersa ista fabula, de greeca illa translatione, (*Ἐγγὺνον* *Iustinus* dixit) forte sensim felicius explicari poterit. Nullib[us] talium apocryphorum vestigia inuenimus, nisi apud christianos quasdam scriptores, qui non sunt ex gnosticis; occultabantur etiam, vt nemini, nisi fido et certo, in manus venire possent.

B



Eius generis et argumenti libri satis multi, *paulo post mortem Christi*,<sup>12)</sup> scripti et disseminati fuerunt, a christianis utique, quos iam Paulus commemorat multos κατηγορούτας τον λόγον τε θεός, qui suum potius lucrum quaesuerint, quam ingenuum illud consilium Christi ipsius fecuti sint; Christum tantum κατασάρα, Iudeorum ex opinionibus patriis et domesticis, commendantes, abusi plebis imperitis et superstitiosis facilitate. Tot enim numero scriptiones, quae solent iam *apocryphorum* nomine insigniri, aut omnino christianis debentur scriptoribus, aut certe, si forte apud *Eugenios* aut alios graecos Iudeos quidam ferebantur, altius interpolatoribus aucti sunt. Mira certe est sedulitas *Tertulliani*, lib. 1. de cultu seminar. c. 2. qui *Enochi* commentatoria defensurus, scribere audet: A Iudeis *videri potest iam propterea reiecta, sicut et cetera fere,* (scil. reiecta fuerunt,) *quae Christum sonant.*

Nempe, iam demum, post Christi illam historiam publicam, Iudei reiecerunt, antiquissimum, si placet, librum *Henochi?* Et cetera, *quae Christum sonant*, reiecta? Quaenam igitur? Cetera? Quis autem vnuquam narrat, vel fando inaudiu de eo, Iudeos *reieicisse scripta*, vetera, domestica, *quae Christum sonarent?* Nemo, praeter *Iustinum*. Cetera, dicit *Tertullianus*, quasi *satis nota*. Quis dubitet, praeiuuisse isto eodem tempore, et loco, Romae, istam *Iustini*, tam ancipitis et dubii nominis, *accusationem*, cum nemo ex tot christianis istam accusationem postea repetat. Cetera enim; ecque tandem? Locum ex *Esdras ἐξηγούσος*, de qua re nemo porro, praeter *Laetantium* (IV, 8.) aliquid commemorat. Deinde hunc locum ex *Apocrypho*, si placet, Ieremiae; nam aliud Carmen Ierem. XI, 19. superest, quod dicebat tamen Iustinus *nuper demum erasum*, lectum vero in pluribus Synagogae codicibus. Tum ex Psalmo 95, λέξεις βεργεχαις ἀφειδοτο ταῦτα, has felicit, ἀπό τη Συλλ., quas idem *Tertullianus* fortiter Iudeis offert, sine mentione fraudis tentatae, tum aduersus Iudeos c. XI;<sup>13)</sup> tum libro 3. contra Marcionem. Haec igitur sunt cetera, *quae Christum sonabant*, a Iudeis *reiecta*, *post historiam illam Christi publicam*. Quem vero non pigeat et pudeat tam inueniunti et foedi commenti? Cur enim Christus ipse non allegarat tales sententias, ipsum *sonantes*? Sed hic illud est satis lepidum, *Irenaeum* istum, scriptorem ambiguum certe, opponere Gnosticos ex scriptione eius generis, ὀπονεψαρ, sententiam istam, quater repetitam, quam, praeter *Latinorum* istam seu Romanorum,  
dico-

<sup>12)</sup> Forte non temere sic definimus; ante Christum, si tales sententiae in libris eiuscunque temporis, iam vulgatae essent, quidni aut Christus ipse aut Apostoli, (in Actibus apostolorum) excitasent, qui tradiciones non scriptas non raro recitant? Inuenimus autem partim in Pauli Epistolis, aliquas sententias ex apocryphis huius generis: partim in Epistola Iudei, *Petri* secunda; igitur postquam *Christi historia tam vulgata fuerat*, tales libri videtur compotiti fuisse, a Iudeo christianis, vt veterentur iis aduersos graecos Iudeos.

<sup>13)</sup> Istum librum confarciatum esse ex tertio aduersus Marcionem, pluribus ostensum est ad Volumen 5. *Tertulliani*, hic Halae recutis, pag. 262 seqq.

*διαδοχην*, cui *Iustinus* ille praecest, nemo homo umquam per christianum et iudaicum orbem legit aut audiuit.

Sciimus autem siuisse ingentem multitudinem talium scriptiorum iudaizantium, sicut et multae aliae, partis alterius, seu *Gnosticorum*, similiter, nomine saltim et titulo, colligi a nobis possunt; quas sciimus longe alias generis siuisse et argumenti; moralis scilicet, non vero *historici*, ut istas alterius scholae. Fatetur *Origenes*,<sup>14)</sup> subtimidus scilicet, ne plerosque offendat, talibus *arcans*, *ἀποκρυφοις*, vniue adfuetos: se non interpretari, cur non soleant in canone christianorum ei isti libri, nominibus ex V. T. insigniti, recenseri? *sive* placuerit spiritui sancto, eos auferri de medio, quia forte aliqua continebant supra humanam intelligentiam; *sive* quia postea corrupti fuerint tales libri, vt sic auctoritate digni non essent.<sup>15)</sup> Et profecto satir mirari vix licet, quanta multitudo talium scriptiorum succedererit; si conseramus illas paucas, quae citantur a *Iustino*, et *Tertulliano*; plures, a *Clemente* alex. porro alias atque alias; quibus omnibus, quatenus quidem historicum praecipue characterem seruant, atque eo nomine a Gnosticis minime amabantur, audemus, vt diximus, originem et tempus attribuere, paulo post famam de occiso illo Iesu, quem Messiae omne multi auctori erant, aucta spe et opinione adhuc pleni; si modo votis istis satis responderet. Hos igitur, vt adducerent, multi ex Iudaizantium christianorum genere tales scriptiones suggesterunt, et tamquam arcanos, *ἀποκρυφοις* libros commendarunt, inter *exteros Iudeos*; *Romae*, in Asia minori, *Alexandriae* etc. Eius generis et *Henochi* illi libri fuerunt, et testamento XII. patriarcharum,<sup>16)</sup> *αὐτοκρύψις* Mosis, (e qua illam partem de diaboli et Michaelis dispu-

## B 2

ta-

14) Prologo ad canticum cantoricum.

15) Innuit ergo non esse in canone; atque iure paruae esse auctoritatis. Sed cur non addit *tertianum* rationem: *sive* quia non essent antiqui temporis, quod falso mentiebantur? Erant certe tantum in manibus Iudaizantium.

16) Statuit iam *Gratus*, in prefatione ad testamento 12. patriarcharum, haec testamento (et alios similes libros) siuisse e numero LXXII. apocryphorum librorum V. T. quos olim extitisse et una cum XXII. canonicos scriptis ad *Prolemaeum* regem Aegypti a Iudeis *μήσοις* *εἴη* Epiphanius referit, libro de mensuris et ponderibus 9. 10. Quod autem addit *Gratus*, etiam Iosephum libro 1. contra Apionem insinuare, libros quosdam Apocryphos V. T. siuisse scriptos, quia recensitus XXII. canonicos Iosephus illa verba adiungat, ab Artaxerxe usque ad noltrum tempus etc. vix habebit *Gratus*, qui ei consentiant. Iosephus enim huius generis libros, nomine *Enochi*, testamento patriarcharum, *Mosis*, *Elaiae* etc. minime sciuit aut designavit; quia clare addit, id est πτερος ἐχ οὐσιας ηγετος, quod (ab isto tempore) *prophetarum* non fuerit satis certa successio. Si vero nouisset tales apocryphos libros, *Henochi*, *Mosis*, *Iesiae*, *Ieremiae*, non potuerat *hanc rationem* addere, non certam esse successionem prophetarum post tempus *Artaxerxis*. Hoc totum genus librorum, quod respicit ad computum temporis *Messiae*, per tot *αιώνας*, et post secula illa, quae fuerunt *inserita* in annos patriarcharum: pertinet ad Iudeos graecos, et ad Iudaizantes illos *Messiae* amatores; itaque et ipsum argumentum saepè prodit tempus, post mortem Iesu, cuius ceteram historiam suo modo et ingenio isti scriptores supplice et ornare audent.



tatione in Epistola Iudea sumtam fuisse, iam veteres quidam dicebant: et aliorum nominibus insigniti alii satis multi.

Nempe cohaerebat hoc continuum studium librorum, qui vetusta nomina mentirentur, suggestorum, cum fabula ista alia: *Esdram* instaurasse libros olim perditos,<sup>17)</sup> LXXII. vero tamquam *arcanos* repofuisse, quos a LXX. senioribus cum istis aliis XXII. hebraicis nostris, graece translatos fuisse, Epiphanius prodere audet; sed et ipsum librum *Esdrae quartum* minus antiquum, et seculi primi esse, plura indicia non obscure staudent. Christiani vero *utilem* sententiam, (de cruce, ταῦταν εἰ σημεῖον) ex *Esdrae* libro, et narratione de *Patche, erasim fuisse*, ille Iustinus dixerat; quis autem, praeter christianos Iudaizantes scriperat? Ita iam omnia, ut diximus, *occupant* notam iamiam historiam et mortem Christi in *cruce*; ad eam igitur tales partim scriptiones, partim sententias, nomine veterum *apocryphorum* seu *occultatorum* librorum, adaptarunt illi e christianis, qui Iudeis exteris dederunt nimiam operam.

Fuerunt viri eruditii,<sup>18)</sup> qui et illam sententiam primae Epistolae Petri, cap. III., 18. statuerent *respicere* ad idem istud *apocryphum* carmen *Ieremiae*, quod descripsit *Iustinus* et *Irenaeus*; sed nulla est ratio, quae talem opinionem adiunet, cum satis differat argumentum vtriusque loci, nec vel *Iustinus* vel *Irenaeus* usi fuerint comparare locum Petri cum isto *apocrypho* carmine; quod eo minus intermissurus erat *Iustinus*, cum per nomen *Petri* antiquitatem talis libelli satis commode potuisset confirmare. Itaque neminem fallet *Sylburgii* index locorum scripturae, qui eam paginam excitat, in serie illa. (1 Petri 3, 18.) quae Petri nihil habet, sed istam partem graecam, quam *Ieremiae* tribuerat *Iustinus*. Nec satis constat, ex narratione Math. 28, de *suscitatis sanctis*, qui in corpore apparuerint viui, occasionem repetendam esse, singendarum rerum

a

17) Perisse in calamitate illa publica omnes libros veteris testamenti, (hebraicos istos.) Clemens ille alexandrinus primus narrat, qui hauisit rem ex *Esdrae* libro 4.; post eum *Irenaeus*, *Tertullianus*; *Basilius* adeo; alieubi et *Hieronymus*, qui (*contra Heluidium*) certe scripsit: siue Mozen dicere voluerit *auctorem Pentateuchi*, siue Esram eiusdem *instauratorem operis*, non recuso. Sed et *Homilia Clementina* 3, num. 47, id repetit. Scimus, plerosque viros eruditos longe mitius interpretari, vt ne omnino intercidisse isti libri dicantur; quod illis licet. Sed ipsa illa narratio, ex libro *Esdrae* quarto, dubitare non finit, de rei omnine. Porro non est alienum ab hac eadem causa, diligentius requiri: quod *Gnosticis* foler obici contentus librorum veteris testamenti: anno praeципue hue pertineat, arque tales iam libros veteris testamenti, suffectos et fictos, iunctos autem in eodem corpore, attingat?

18) *Sylburgius* ad Iustini illum locum; (*Cartingit* hunc locum Petrus etc.) *Colomesium*, et *Grabinum* etiam nominat, *Fabricius*, cod. pseudepigr. V. T. tomo I. p. 1107, atque *Thiriby* in notis ad Iustum; neuter centuram addidit, aut sententiam suam dixit. Credimus omnino tales scriptiones, ut iam diximus, extitisse ante Petri et Iudee Epistolas illas; sed persuaderi non potest, Petri illum locum *respicere* ad istud carmen, quod *Ieremiae* nomine *Iustinus* demum et *Irenaeus* excitant.

a. Christo *apud inferos* gestarum; licet narrationem istam, quam ex *Thaddaei apocrypho* apud Eusebium, histor. 1, fine legimus, atque in Epistola Ignatii nomine ad *Traillenses*, quidam eruditus viri sic explicarint. *Haben* enim, regnum aliquod et rem publicam quasi *apud inferos*, scimus Iudeos iam informasse; πυλας θανατος, πυλωνες οδοι adeo iam *Iobi* 38. pingi, ut alias mythologicas quali partes non colligamus. Licuerit igitur certius istam caussam sic illustrare, vt ponamus primo loco, *Henochi* aliquem librum iam in manibus plurium fuisse, e quo Epistola *Iudei* aliquam sententiam recitat, addito claro indicio, λεγων, quod scripia verba occupat. Ex eodem libro, quia fragmenta illa superfunt, defumta est etiam illa pars de *angelis*, qui non tenuerunt αρχην suam, catenis vinciti et seruati in diem iudicii; quea narratio etiam est in secunda *Petri*. Porro illam partem, de certamine angeli *Michael* cum diabolo, ob corpus Mosis, plures veterum confirmant esse ex libro, αναγνωστης Mosis, e qua et Paulum quaedam recitat esse veteres narrant. Iam inter *Henochum* et *Mosen* ordine temporis sunt *Patriarchae XII.*, quibus illi idem impostores gracci haud dubio eodem tempore ordine innata testamento XII. tribuerant, nec omnino est nihil, illam tempore sententiam in *Theessal.* 2, 16. etiam legi in testamento *Leui*, c. 6. Itaque isto quasi ordine, et ex tali catalogo seu canone reconsuet illa αποκρυψα veteris testamenti, Auctor *Synapses*, iunior *Athanasius*: *Henoch*, *Patriarchae*, oratio *Iosephi*, teſtamentum *Mosis*, *Avarχης* *Mosis* etc. vt alios catalogos hic non allegemus 19). Iam *Henochi* liberum *Tertullianus*, studiose defendit, itaque inter christianos frequentatum indicat; et si *Iudeis* numquam in armarium admissum, vt ipse fatetur; et coniungit statim cum illa narratione, omne instrumentum iudaicae litteraturae per Esdras *inſtauratum* fuisse. Atqui ista tota fabula de *Esdrae* tam multis scriptis, e quibus 72. occultata et reposita dicebantur, (vt impostor amoliretur eam difficultatem, quod Iudei ad seculum usque primum omnino ignorauerint tales libros,) non antecedit seculum ipsum nostrum primum; ergo et omnes isti αποκρυψαι seu occultati libri hoc eodem tempore suggesti fuerint et conficieti; et quidem post mortem Christi, quia satis clare de isto peccato Iudeorum in hunc salvatorem, his in libris perscribitur. E. c. in Testamento Beniamini, c. 9, altissimum mittet το σαρπηνον οντες, εν έπιστολῃ Μονογενεως (nomen seculi primi;) is in priori templi parte iniuria afficieatur, καη επι ζυλον υψωθεσται, καη εσαι το απτομα το ναον σχιζομενον, καη μεταβιησται το πνευμα το θεος επι τα εδην, ως πνη εκχυνομενον, (clarissimum indicium, post rem Aucto. 2. narratam, hoc scriptum esse;) καη οντες θεον εν το οδο, (ille, Christus,) εσαι αναβανων απο γης εις θεουν. Hic, Iudeorum

B 3

mo-

19) Vid. *Grabii* praefatio ad testamento XII. patriarcharum; scimus Grabium tribuere Iudeis tales libros, quos *interpolatos* fuisse putat a christianis. Nos malumus Iudei tantibus christianis adscribere totum imposturam ministerium; quod in hoc primum seculum pertinere putamus, paulo post mortem Christi; atque extra Palestinam rem illam procuratam fuisse, partim *Romae*, parum *Alexandrina*, vbi fuerant multi Iudei.

more, de *descensu eius* Adg scribitur, significatu proprio. In testamento autem *Leui* c. 4, *Hades etiam spoliandus* dicitur, καὶ τὸ Αδὲ συλευομένων ἐπι τῷ πάθει τὸ υψίστο, quae est eadem res, ac isto in apocrypho *Ieremiae*, liberandos esse illos pios ex inferis. In testamento eodem c. 18, dicitur Christum resurrectum Θύρας παραδόντος, amoto isto gladio minaci. Huc et illas sententias Pauli *Coloss.* 2, 15. multi retulerunt; <sup>20)</sup> sicut iste *Thaddei* locus narrat, a Christo sublatum et disiectum fuisse τον φραγμον τον απ' ἀκονες, et sic libertos fuisse ex illo carcere homines ante Christum mortuos.

Talibus scriptoribus, quas facile credimus non Apostolis deberi auctoribus, homines σαρκικοι simillimos illos Iudeos adducere voluerunt ad suam societatem; promissio instantē iam iam redditū Christi, ad regnum illud faustissimum in terra; contra quam superstitionem non raro etiam *Paulus* dixit sententiam. Fuisse multos amatores talium promissorum et nouorum omnium, scimus; itaque non miramur, alicubi *Paulum* et alios aliquas sententias eius generis, adsciisse in suas Epistolas, vt eo facilius tandem istos σαρκικος, Iudeo christianos, ad perfeciorem christianae religionis cognitionem transferrent. Parum vero bene meriti fuerunt tam multi scriptores, quod et post illa tempora, rebus non mediocriter conuersis, tamen tales *historicas ideas* et *sententias* continuabant et praecipue christianis porro praeferant. Atque tanta fuit eius studii vis et malignitas, vt nec eruditis et cultioribus doctoribus licuerit, corrigerē istam pueritiam quasi christianorum, de Christi prouincia, et sensim την ἀληθειαν, perfectioreme institutionem praeferre. De diabolo, gigante, dracone, crucis cuspide confosso, (cuius historiae publica pictura exstitit seculo 4.) <sup>21)</sup>

20) Nempe quia antecesserat, v. 14, τῷ σωζον, mortis indicium, ista, v. 15, intelligebantur facilissime, de historia Christi post mortem ἀπειδούσαν τὸν ἄρχον, καὶ τὰς ἔξτοις — θρηματισαντις εὐάντα, de viatis et triumphis diabolo et morte. In latina autem translatione iam antiquitus legebatur, exulta carne, quasi fine articulo, (vt saepē omnino) scriptum, ἀπειδούσαντος ἄρχον, letatum fuisse σωζα. Itaque *latini* plerique interpretantur de *descensu animae* Christi ad inferos, corpore relicto in sepulcro. Tales sententias, quae ἔξτοις, ἄρχον etc. describunt, scimus viros eruditos multos *impropriè* intelligere, quasi pīgeat itarum idealium, quae ποσιμοκετος; designant multos angelos; sed, si historica adiumenta ex tot scriptoribus apocryphis et antiquissimis patribus non vltro spernimus, fatendum est, *Indoiranum* christianorum fuisse omnino talentū angelologiam; atque his etiam timoribus ex historia Christi aptatam fuisse descriptionem, apud tales tirones.

21) Observauit et approbavit illam picturam Balthasar *Bebelius* volum. III. antiqu. ecclesiastico. p. 149. 150. describens effigies passionis Christi; liberatio a legis maledictione et coactione, a peccato, a morte, ab inferno, a diabolo, „quo sine Constantino M. in sublimi quadam tabula ante vestibulum palati polita, cunctis spectandū proposita salutare signum cuspidi suo superpositum; infra vero hostem illum et inimicum genitū humani, qui impiorum tyrannorum opera ecclesiam dei oppugnauerat, sub draconis forma in praeceps ruentem“ — tels per medium ventrem confixum et in profundos maris gurgites proiecītum, sub  
fui

de πυλώνισι Αδσ, de fractis portis inferni, triumpho mortis, perpetuae atque eaedem picturae et imagines, oculos quasi et aures feriebant legentium et auditorum; atque continua fuit illa declamandi consuetudo, nouis phrasibus et descriptionibus grandibus reperiundis non impar, ut vel historiam illam Christi ab vetero matris conserbere et ultra omnem humanum modum extollere sustinerent. Sic Christi illam salubrem provinciam, quae nobis ipsis persicendi maxime et vnicae destinata fuerat, multi conuerterunt in exercitium declamandi, et in historiam, verbis grandibus magnifice ornandam; quae eo ipso continuum rixandi et querendi argumentum suggerebat, quo illi maxime abutebantur, qui putabant verborum et decretorum nostris ministeriis, dei et Christi praecipuum honorem maxime promoveri. Hinc illa sacra odia et nata et continuata fuerunt in homines, qui ipsum beneficium Christi, quem deus nobis σωτήραν, δικαιούντην, αγαπεῖσθαι et ἀπλαντεῖσθαι fecit, uniuersum utilissime experiri malebant, et quoconque modo optime licet, quam historiam externam, subterraneam adeo illam, subtilius describere. Hac quidem parte multo amplius patet illa πνευματικὴ ἐὐλογία, ἐν τοις ἐπαγγείοις, Ephes. 1, 3, ista perpetua experimenta auertebant frigidas sedilitates, quae vix Iudeis conueniebant rudioribus. Sapientes itaque auctores formulae concordiae sanxerunt, Lutheri exemplo, ut christiani rem ipsam retincent, et se a cunctis illis terribilamentis et spectris fatalibus per Christum certo liberatos gaudeant; 22) talium vero phrasium ipsum ambitum historicum non excutiant, aut sedulo modum aliquem definendum esse statuant.

Itaque et nos per istam festorum dierum solennitatem, quae Vos publice compellandi occasionem suppeditat, commilitones et ciues Fridericianae Regiae

pe-

*fuis liberorumque suorum pedibus, cera igne resoluta, depingi voluit etc. Eusebius lib. 3. de vita Constantini cap. 3.* Facile iudicabunt, qui non sunt omnino rudes, vix imperita plebi vtilia fuisse ista studia; diabolus enim et infernus facile sic pinguntur, sed facultatem animi illam, quae σωτήρα christiano homini applicat, parum adiuuant istas imagines. Longo numero hic possemus recensere declamationes graecorum Latinorumque parvum, satis infrugiteras; quam malignitatem imaginandi hodie miramur a Gresfero ipsis 3. tomis de cruce, et in horculo crucis iam studiose defensam fuisse, ut auderet scribere, hodiernos iconoclastas esse multo peiores illis vetustis, quia non facantur, Christum crucem, tamquam instrumentum euerisse daemonum potentiam. Christus crucem, instrumento, euerit daemonum potentiam! Hoc scilicet est religionem christianam explicare et perfundere.

- 22) *Declaratio artic. IX.* Hoc exemplum articuli, quod exstat iam in formula hergenfi vix quartam aut sextam partem continet eius expositionis, quae ex Lutheri concione rogenfi a. 1533; verboſissime conscripta fuerat in libro rogenfi, ex cuius recti scimus, doctores et auditores debuisse obligari, ad retinendam ideam illam, quae poterat ruditis pictura dici. Hodie aliter explicitant formulae hergenfi articulum; per eum nihil definiri; sed certius est, eruditiores non posse obligari per istam descriptionem doctrinae minus commodam. In Concordia Sueuica nihil omnino praescriptum fuit de quodam articulo *descensus ad Inferos*.

peramat, non studiosius repetimus rhetoricationes illas veterum multorum scriptorum, qui forte tempori suo illud dederunt, aut intelligendi humiliorem modum tenerunt, cum infernalem triumphum Christi pinxerunt quasi, et oculis nostris reddere inustatum spectaculum studuerunt. Liberum fuit tam diuersis et imparibus christianis, beneficiorum a Christo nobis partorum seriem eligere, atque infernales istos terrores et metuendi et horrendi quasi domicilia, imaginando finire, atque sic illam Christi victoriam et pompan animo suo magnificissime ingenerere. Lievit sane illis hoc modo fructus mortis Christi describere, quod post liberatos omnes Adami posteros, aut pios saltim homines ex isto carcere mortis, iam vitae post hanc mortem pacatioris, et ab ipsa felicitate minus remota certissima documenta possint colligi. Est enim et hoc ingens beneficium, tam multis hominibus tranquillus et securius mori posse, disiectis cunctis illis timoribus sacris, quos longa superstitione sensim coniunxerat. Sed nostrum iam est, multo augustinus quasi theatrum prouidentiae et benevolentiae dei componere, ex illa vita et historia Iesu Christi; quae non solum longe superat omnem iudaicam sperrandi et ominandi humilem consuetudinem, atque omnes istos angelorum hominibus tam atrociter timendorum, ordines disiecit, et ab uno iam Christo nouae spei iustam opportunitatem suspendit; sed etiam verum atque ingenuum consilium dei luculentissime ad nos praedit, qui non imbuti sumus illis auitis opinionibus et *adversari sorgerent*, quibus olim locus fuit inter Iudeos, et alias nationes a Christo nostro alienas. Nostrum igitur etiam est, veram *sorgerent*, per Christianum nobis partae et a nobis amatae, rationem atque indolem longe diligentius et salubrius informare, quam antiquiora per tempora, aut imperitorum multorum causa, locum habuit, aut opinandi consuetudo ferebat. Intelligebant sane meliores et peritiores christiani, *moriendum esse* cum Christo, ne foedam istam vitiorum consuetudinem continuemus, et in Christum noua quasi peccatorum onera vitro congeramus; *surgendum etiam esse*, et *nouam vitam*, deo et nobis dignam, nunc vivendam esse. Noua igitur haec vota, agite, et nos nunciupemus deo; et Christo, nos omnem vitam istum vitram consecraturos; memores tanti beneficij, nos gratum animum studiosissime deo probaturos, cum christianae religionis ista sit praestantia vera, quod doceat homines, sancte vti ista salubri et beneficii dei gratia, vt et alii homines illam ingenui christiani indolem et vitam comparare cum aliis vitae agendae institutis et regulis sic possint, vt libenter fateantur, carere et se ipsis non posse hac maximae salutis divina formula. Pudeat certe homines foedos vitatae turpitudinis aut cyclopiae vitae sua hos per dies, quos christianorum populorum tanta multitudo sanctorum et festos celebrat! vitiam contingat, vt nostrae admonitioni tam miti quam iustae multi debeant praelarere et castas virtutis noua tirocinia! Feliciter! P. P. in Fridericiana Regia die 16. April. 1775.

Fe 4194

ULB Halle  
002 623 889

3




SB

Retrov







19.

# D. I O. S A L. S E M L E R I

## OBSERVATIO HISTORICO - DOGMATICA

d e

*vario et impari veterum studio,  
in recolenda historia  
descensus ad inferos.*



HALAE AD SALAM

A E R E H E N D E L I A N O